

S.	gra.	mi.	secund.	
9	27	11	41	Locus luminarium
3	1	11	47	Aux Solis
6	25	59	54	Argumentum Solis
Adde		58	40	Aequatio æquata argumentum
9	25	10	21	Verus motus Solis
4	15	9	2	Argumentum Lunæ
Subtra	3	41	44	Aequatio æquata argumentum
9	23	29	57	Verus motus Lunæ
0	4	40	24	Differentia Solis.

Mitto deinceps argumentum Solis in tabulam ueri motus Solis & Lunæ in hora una, & offert se motus horarius in columnula Solis 2 minu. 33. Sed cum Lunæ argumento ex eadem tabula in columna Lunæ, inuenio motum Lunæ unius horæ 35 m. 30. Qui cum stent sub uarijs minutijs, reducendi sunt ad eandem minorem, scilicet in qua semper conueniri coguntur, resolutione autem facta, stabunt in loco Solis 153 secunda, & in loco Lunæ 2130 secunda. Abstuli ergo pauciora de pluribus, remanserunt 1977, diuisor uidelicet differentię uel longitudinis luminarium, per quam ab inuicem distiterant tempore medię coniunctionis, qua demum in eandem resoluta minutiam scilicet secundorum, partitaq; per diuisorem præhabitum, prouenerunt in quotiente 8 horæ. Et residuum multiplicauit per 60. productumq; diuisi, per id quod prius, prodiderunt 30 minuta. Haud secus & cum alijs processu minutijs, reperiç 36 in secund. Finaliter autem singula hæc suis adieci denominationibus temporis coniunctionis medię præinuenti, & collegi tempus ueræ coniunctionis Solis & Lunæ 8 di. 13. ho. 45 minu. 32. secund. mensis Ianuarij, quod erat propositum. inæquatis tamen diebus. Adde igitur æquationem dierum quæ in proposito est 8 secund. horarum, & proueniet 8 uera diebus æquatis 8 d. 13 ho. 45 minut. 40 secund. Pro tempore autem ueri aspectus Solis & Lunæ, age ut supra de uera coniunctione uel oppositione inuenienda, & proficient aspectus secundum gradus zodiaci æquales.

De congressu planetarum cum stellis octauæ sphaeræ.

Propositio XXV.

Tempus autem coniunctionis cuiusq; planetæ cum qualibet stella fixa hac computatione inuenies. Habeas primo locum illius stellæ uerum per 9. de qua operaris, habeas etiam uerum locum planetæ ad tempus propinquum coniunctioni secundum æstimationem rationabilem, eliceasq; distantiam, hoc est longitudinem inter planetam & stellam propositam. Cuius etiam longitudo sit, planetæ scilicet an stellæ fixæ, ut uisum est paulo ante. Deinde habeas motum planetæ in una die, uel in hora una, & utrum sit directus an retrogradus. Nec cures de motu stellæ fixę unius diei, quia sensibilis non est in tam breui tempore, nec operamur hic per superationem ob stellarum fixarum motus nimiam paruitatem. Deinde longitudinem præhabitam diuide per motum planetæ in uno die. Et tempus emergens in quotiente, adde tempori æstimato prius assignato, dum longitudo fuerit ipsius stellæ fixæ, & planeta directus, uel si longitudo planetæ fuerit, & ipse retrogradus. Quod si longitudo fuerit planetæ & ipse directus